



Patriarchatus Latinus - Jerusalem

البطريركية الالاتية الاورشليمية

المكتب الليتورجي

Officium Liturgicum

Die 21 Octobris

S. Hilarionis, abbatis.

Ps 15, 5

*Ant. ad introitum*

Dominus pars hereditatis meae et cálicis mei;  
tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

*Collecta*

Da nobis, quæsumus, Dómine, inter mundi varietátes,  
toto corde rebus cælestibus adhærére,  
qui per beátum Hilariónem abbátem  
evangélicæ nobis perfectiónis documénta donásti.  
Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

«*Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam*»

Lectio Epistolæ beáti Páuli ad Philippenses

3, 7-8. 12-14

Fratres :

Quæ mihi erant lucra, hæc arbitrátus sum propter Chri-  
tum detriméntum. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum

esse propter eminéntiam sciéntiæ Christi Iesu Dómini mei,  
propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stérpora  
ut Christum lucri fáciam.

Non quod iam accéperim aut iam perféctus sim, pérse-  
quor autem si umquam comprehéndam, sicut et comprehénsus  
sum a Christo Iesu.

Fratres, ego me non árbitror comprehendíssse; unum au-  
tem, quæ quidem retro sunt oblívisciens, ad ea vero quæ ante  
sunt exténdens me, ad destinátum pérsequor, ad bravíum su-  
pérnæ vocatiónis Dei in Christo Iesu.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 26, 1. 4. 8 et 11 9R.: 'b)

R/. Fáciem tuam, Dómine, requíram.

1 Dóminus illuminatio mea et salus mea, quem timébo?  
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? R/.

2 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:  
ut inhábitem in domo Dómini  
ómnibus diébus vitæ meæ,  
ut vídeam voluptátem Dómini, et vísitem templum eius. R/.

3 Fáciem tuam, Dómine, requíram.  
Osténde mihi, Dómine, viam tuam,  
et dírige me in sémitam rectam. R/.

ALLELUIA

Phil 3, 8-9

R/. Alleluia V/. Omnia detriméntum feci et árbitror ut stér-  
pora ut Christum lucrifáciam et invéniar in  
illo. R/. Allelúia.

## EVANGELIUM

«Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert»

† Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

12, 24-25

In illo témpore :

Dixit Iesus discípulis suis: «Amen, amen dico vobis:  
Nisi granum frumenti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum  
solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.  
Qui amat ániam suam, perdit eam, et qui odit ániam  
suam in hoc mundo in vitam ætérnam custódiet eam.»

Verbum Dómini.

## Super oblata

Clementíssime Deus, qui vétere hómine consúmpto,  
novum secúndum te,  
in beáto Hilarióne, creáre dignátus es,  
concéde propítius: ut nos páriter renováti  
hanc placatiónis hóstiam tibi acceptábilem offerámus.  
Per Christum.

Ant. ad communionem

cf Matth. 19, 27-29

Amen dico vobis, quod vos qui reliquiástis ómnia,  
et secúti estis me,  
céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Post communionem

Quæsumus, omnípotens Deus,  
ut qui huius sacraménti munímur virtúte,  
exémplo beáti Hilariónis,  
discámus te super ómnia semper inquirere,  
et novi hóminis formam in hoc sǽculo portáre  
Per Christum.